

plerisque excedant: In aliquibus tamen natura, cœlorum & astrorum virtutes, tanquam ancilla domino suo famulantes, amica lumina & benignos influxus, quos à Christo acceperant, nascenti Christo largissime suppeditarunt. Propterea putabat etiam Magos præscire debuisse ex duplici argumento, nasciturum aliquem insigni religione, imperio & gloria virum; primò, ex constitutione cœli quam Christi nativitas habuit; incidisse autem hanc, juxta suum calculum, in annum Octavii Augusti XLII. octavo Kal. Januarii, ante noctis dimidium, & fuisse in ea Horoscopus 8. grad. Virginis, in Medio cœli Saturnum, Imum verò tenente Sole, ceteris Planetis suo ordine dispositis: Secundò, ex magnâ illâ conjunctione Saturni & Jovis in signo Cancri, quæ sex annos Christi genituram præcessit, & unde tum temporis omnes, quotquot erant, Astrologi, occasionem divinandi hauserunt, magnam portendi religionis mutationem. Tandem in *Elucidario* Astronomicæ Concordiæ cum Theologica & Historica Veritate cap. 2. ponit figuram & constitutionem stellarum, nascente Salvatore, horizonti Hierosolymitano, cui latitudinem 32. grad. expressis verbis tribuit, accommodatam. Miramur ergò præter Marinum Merfennum, (q) Sixtum Senensem, (r) aliosve, imprimis hîc Ricciolum (s) nostrum, quod genethliaco Alliacensi vitio vertit, ac si iste altitudinem poli Hierosolymæ 36. grad. supposuisset, quod tamen illi ne in mentem quidem venerit. Videat ergo Ricciolus, quomodo sua, forsan ex Sixto Senensi petita, cum hisce expressis Alliaci verbis componat. Quam falsò etiam Schema hujus Cardinalis, quod sub Fig. II. accurate delineavimus, Merfennus, Gassarellus & Sixtus Senensis depinxerint, sicco nunc præteribimus pede. Potius recurrimus ad ipsius Auctoris, (qui pro Albumafaris & Alberti M. auctoritate veluti pro aris ac focus pugnat) supra allegata verba; Ubi Christum per duas horas ante mediam noctem natum fuisse asserit. Sed infirmitate hujus fundamenti coactus, tandem etiam descendit in eorum sententiam, qui Christum ascendente secundo gradu 51. min. & 26. sec. Libræ, & sic per tertiam partem horæ, ante noctis dimidium, ex hac ridicula ratione natum esse volunt; quod Libra etiam in natiuitatibus aliorum Prophetarum ascendens fuerit. Hinc etiam alibi (t) de hoc Horoscopo loquitur hunc in modum: *Dominus JESUS Christus natus fuit ascendente Libra in gloria Saturni & domo Veneris. Saturnus vero, ut ait Messa baly, significationem habet super gentem Judaicam, seu fidem ejus, & ipsius est gloria super regnum. Unde Dominus JESUS, in quantum homo ex fortitudine sue natiuitatis dictus est Rex Judæorum, & sibi tanquam*

(q) *Comm in Gen. cap. I. v. 14. p. 970.* (r) *Biblioth. S. p. m. 425.* (s) *Almag. nov. L. 8. de novis Stellis p. m. 189.* (t) *Cap. nempe 34. Elucidarii sui.*